

non effugiunt. Unde etiam Jul. Cæs. Scaliger, *exercit. 101. sect. 18.* nefandum Hippocratis deliramentum, à quo non absint Galeni trepidationes, nominat; Animam nihil aliud esse, quàm caeleste calidum.

*Calidi  
innati  
mutatio  
secundū  
ætates.*

Non autem hoc calidum semper in eodem statu permanet, ut capite præcedente dictum, sed ætatis decursu & inclinatione mutatur & imminuitur. Prima quidem ætate, quæ generationi & ortui proxima est, plurimus est hic calor, primaque ætas calidissima & humidissima jure censetur, & Hippocrates, *1. Aphorism. 14.* scribit: *Qui crescunt, plurimum habent innati caloris.* Ætate autem procedente paulatim pabulum illud caloris, humidum radicale, à calore absumitur, & exsiccat, ita ut tandem humido planè absumto ipse etiam calor, cum, quo sese sustentet, non habeat, extingatur, & mors naturalis sequatur.

*Mortis  
naturalis  
caussa.*

Etsi enim semper in locum absumti humidi radicalis aliquid reponitur: deterius tamen id est, habetque se sicut aqua ad vinum, quod sui permixtione vinum debilius reddit. Atque ita hic idem calor, qui vitæ aliàs autor est, etiam interitus causa est: id tamen non per se, sed ex accidenti. Hic enim dum naturæ ductu conservari desiderat, fruiturque jucundè humidi radicalis pabulo, semetipsum conficit, sublato nimirum

humido radicali, sine quo consistere nequit. Perinde enim, ut flamma in lychno oleum aut sebum depascitur, & tandem, absumta materia, ex pabuli inopia, extinguitur: ita etiam calor nativus noster instar flammæ humidum primogenium depascitur, tandemque humido deficiente, ipse etiam extinguitur.

## CAPIT V I.

### *De Spiritibus.*

NON vero calidum hoc insitum ad actiones omnes perficiendas sufficit, sed calido aliunde influente, à quo foveatur & excitetur, indiget: de quo etiam aliquid, atque ita de spiritibus, dicendum. Spiritus verò nomen etsi & in aliis disciplinis, & in Medicina varias habeat significationes: hoc loco tamen dicitur corpus tenuissimum, calidum & mobile, ex tenuissima & maximè sincera sanguinis parte genitum, Animæ quasi cum corpore vinculum, actionumque edendarum maximè necessarium instrumentum.

*Calidum  
influens.*

*Spiritus  
quid.*

Spiritus autem nomen etsi potius rei mobili competat; & de natura spirituum esse videatur, ut sint mobiles: tamen cum in genere etiam spiritus nominari soleat substantia quædam subtilissima, efficacissima, purissima, & minimè conspicua: solent spiritus dividi in insitos & influentes. Influentes sunt, qui à partibus principibus